



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ocylvs, Hoc Est: Fvndamentvm Opticvm**

**Scheiner, Christoph**

**Freiburg i. B., 1621**

Cap. V. De speciali in singulis oculi partibus refractione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71258](#)

prehenditur. Oculus ergo in punto B collocatus, si axem opticum cum radio A B vniuerit, videbit punctum A ibi ubi est, in loco scilicet vero, quia per radium AB illud accipit; at vero in I positus spectabit I in O: in K constitutus cernet A in P; propter radios per diuersa media refractos, in quibus res visa iacere putatur: & sic clarum est, priores lineas A B & B I, plus non conferre, quam ut speciem deferant, per varia diaphanorum itinera usque in I, refracte vero linea I K etiam ipsi sensui rem eandem tradit; unde ipsa sola <sup>a</sup> radius propriè visorius dici meretur, reliquæ deferentes ap- <sup>b</sup> Refractorius & Forma- pellantur. De loco visu & vero, plura & exactiora habes c. 13. Differens lis.

Pro confesso etiam habendum est, oculum ipsam <sup>b</sup> refracionem minimè sentire; alias ipse rem in alienum locum sibi ab- ripi non patetur, sed relicts deferentium ambagibus ad veram utique radiantis punti sedem penetraret, quod tamen minimè sic.

Notandum insuper est, tametsi lineæ radios & A B, B I, I K, &c, seorsim & separatae non existant, ipsas nihilominus inesse verè & realiter pyramidi seu cono toti radioso, sicut inest linea superficii, & hæc corpori; adeoque has lineas non esse phantasias aut figura Mathematicorum, secundum perturbatam quorundam imaginationem, sed entia verè ex naturâ rei existentia; ad eum modum quo partes integrantes insunt toti suo continuo.

His ita in genere de refractione prælibatis, ad ipsam quæ in diaphanis oculi partibus fieri consueuit pròpius accedamus.

## DE REFRACTIONE IN SPECIE.

AN ET QVALIS SIT IN SINGVLIS  
oculi partibus diaphanis Refractio.

### CAPUT V.

**O**MNIS igitur radius ab obiecto ad oculum projectus, transgressus Corneam, & in tunica Vue superficiem anteriores non impactus, omnes tunicas & humores reliquos usque

FUNDAM. OPTIC.

usque ad Choroidē penetrat, teste experientia; siue enim oculum  
exemptum à dorso denudes, videbis rem quamvis per humores  
integros tralucentem; siue oculum viuum inspicias, transparebit  
fundus Choroidis: ideoque si radius immisus obliquus est, ad  
aliquam horum diaphanorum superficiē, necessariò refringitur,  
ad quam autem rectus accedit, irrefractus penetrat. Quod au-  
tem radius obliquus refringatur, patet ex humorum & tunicarum  
diuersa densitate & naturā, situ insuper excentrico. Et quod re-  
a. Radius  
ad super-  
ficie in e-  
rectus nō  
fringitur.  
cta illapsus non frangatur, manifesta est demonstratio, aut enim  
omnino non frangitur, aut quaquaversus, propter angulum inci-  
dentia quaquaversus rectum; at impossibile est ut quaquaversus  
refringatur: ergo nusquam. Quales autem obliquorum sint re-  
fractiones, accipe paucis, per capita singula.

REFRACTIO RADII VISIBILIS  
ex aëre in Corneam.

CAPUT VI.

Dicendum breuiter, radiū ex aëre in Corneam tuni-  
cam oblique ingressum refringi ad  
perpendicularem.

**S**it tunica Cornea AB, descripta ex centro C, radius ex D pun-  
cto, oblique in eius extremitatem allapsus sit DE, punctum  
incidentia E, ad quod egressa CE, esto perpendicularis; quia  
igitur Cornea tunica densior est ambiente aëre, radius DE, re-  
fringitur in Corneā versus perpendicularem linēā  
EC, & in radium refractionis EF degenerat. Estq;  
angulus FEC, angulus refractus; & si radius DE  
recta produceretur intra Corneam, angulus à pro-  
tracto radio, & retracto EF, contentus, esset refra-  
ctionis angulus.



REFRA-